

THE UNIVERSITY OF CHICAGO
LATIN READING EXAMINATION

Translate both passages accurately into idiomatic English. You will have two hours to complete the examination. The use of a dictionary is permitted.

Passage A

Tum Iulius: Ego mehercule, inquit, Antoni, semper is fui qui de te oratore sic praedicarem, unum te in dicendo mihi videri tectissimum, propriumque hoc esse laudis tuae, nihil a te unquam esse dictum quod obesset ei pro quo diceret; idque memoria teneo, cum mihi sermo cum hoc ipso Crasso multis audientibus esset institutus Crassusque plurimis verbis eloquentiam laudaret tuam, dixisse me cum ceteris tuis laudibus hanc esse vel maximam, quod non solum quod opus esset diceret sed etiam quod non opus esset non diceret: tum illum mihi respondere memini, cetera in te summe esse laudanda, illud vero improbi esse hominis et perfidiosi, dicere quod alienum esset et noceret ei pro quo quisque diceret; quare non sibi eum disertum qui id non faceret videri sed improbum, qui faceret. Nunc, si tibi videtur, Antoni, demonstrares velim quare tu hoc ita magnum putes, nihil in causa mali facere, ut nihil tibi in oratore maius esse videatur.

Passage B

DE IGNIBUS IN AERE *

PRAEFATIO I. Quantum inter philosophiam interest, Lucili virorum optime, et ceteras artes, tantum interesse existimo in ipsa philosophia inter illam partem quae ad homines et hanc quae ad deos pertinet. Altior est haec et animosior; multum permisit sibi; non fuit oculis contenta; maius esse quiddam suspicata est ac pulchrius quod extra conspectum natura posuisset. 2. Denique inter duas interest quantum inter deum et hominem. Altera docet quid in terris agendum sit, altera quid agatur in caelo. Altera errores nostros discutit et lumen admovet quo discernantur ambigua vitae; altera multum supra hanc in qua volutamur caliginem excedit et e tenebris ereptos perducit illo unde lucet.